



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 17. Dux Montpenserius mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII. ret: tandem vero Roma ex comitiis
 A. C. 1608. Generalibus Ordinis sui in Franciam
 reversurus hoc anno Ripoli Pedemontii
 oppido febrim correptus, extremum ibi
 magna cum virtutum laude diem vige-
 simum octavum Septembris explevit.
 Corpus ejus plumbeo loculo inclusum
 primo in Ordinis sui conventu depoli-
 tum, postea Lutetiam Parisiorum trans-
 latum, ac funebri pompa exceptum in
 Capucinorum Ecclesia ibidem sepultum
 est, adjecta inscriptione funerali, quam
 ejus Soror Henrici Borbonii uxor postea
 curabat.

§. XVII.

Dux Montpenseriensis mortuus.

Rigault. l. c. Hujus venerabilis Patris Sororius erat
 Henricus Borbonius, Montpenseri-
 ensis Dux, qui potens opibus, regio-
 nis vobis, ac clientum numero conspicuus
 ad suprema fortunæ fastigia ascenderat:
 ne autem prosperis salutis suæ rationi-
 bus deesset, provida Dei dispositione
 pertinacissimi morbi violentia coer-
 ceri cæperat; cum enim in Drocenti
 pugna gravi afficeretur vulnere, per
 quatuordecim omnino annos acutissi-
 mis doloribus, lento morbo, tantaque
 macie conficiebatur, ut vix ossibus hæ-
 reret, non sine tamen uberrima animæ
 suæ

Sæc. XVII,
A. C. 1608.

suæ usura; quippe hortante Patre An-
gelo Joyosa Leviro suo mundanis rebus
penitus valedicens totus in cogitatione
mortis incubuit, huic uni curæ addi-
ctus, ut Sacrosanctis Ecclesiæ Sacra-
mentis munitus pie decederet: quocirca
negotium ordiebatur omnium ponde-
rosissimum, totius præteritæ juventutis
& ætatis accusationem, qua facta in-
ter crebra cum Deo ac cælicolis collo-
quia extremam vitæ horam præstolaba-
tur: Ut autem Henricus Rex, quan-
tum adhuc per mortis moram liceret,
languentem amicum suum solaretur,
Filio suo Aurelianensi Duci filiam suam
ejus unicum, Patre etiamnum spirante,
die decima quarta Januarii hoc anno
desponsari voluit: Tandem vero morbo
ad momenta ingravescente Dux con-
tentius, laboriosiusque animæ meatus
trahere cæpit, ac orthodoxæ fidei con-
stantia invictus, sæpiusque morituris
licet & hiulcis vocibus morientis Christi
verba repetebat, concidente autem
lingua die vigesima septima Februarii
duntaxat ex internecino halitus silen-
tio, eum exspirasse, deprehensum est.
Hujus Viri de Rege ac regno optime
meriti jacturam Henricus totaque Fran-
ciæ aula deslebant: Corpus ejus celebri
ac ferme Regia pompa Campaniaci
in Majorum tumulo reconditum est,

X 2

in

Sæc. XVII. in promeritas hujus Principis laudes
A. C. 1608. excurrente Petro Fenolio Regio Con-
 cionatore ac Episcopo Monpeffulano.

§. XVIII.

*Friderici Wirtembergici Ducis mori
 & elogium.*

Idem hujus anni initium Friderico Wir-
 tembergæ Duci fatale fuit: Is anno
 Christi millesimo quingentesimo quin-
 quagesimo septimo Mompelgardiæ na-
 tus, omnes boni Principis partes exple-
 vit, suamque ditionem non modo pristina
 libertati, dignitati ac nitore resti-
 tuit, sed plurimum urbium accessione ex-
 tendit: sectam tamen, in qua enutritus
 erat, totis viribus propugnabat, & Fran-
 ciæ Calvinistas apud Henricum
 IV. potenti patrocinio fovens, Secta-
 rios ex Austria profugos perbenigne ex-
 cipiebat, extructa pro eis Freudensta-
 diensi urbe. Plurima etiam Temples
 & Collegia, aliaque pia loca nova ere-
 xit, vetera restituit, arctiora magnis
 sumptibus ampliavit. In imperio si-
 quid turbatum vel discordiæ natum es-
 set, solertissime componere studuit, Ar-
 gentinense quoque dissidium sopire, ac
 Donawerthensium causam promovere
 intentus, multa itinera, laboresque im-
 pendit, necnon exorta Religionis con-
 trover-